

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Quistorp

**Programma Rectoris Johannis Quistorpii, S.S. Th. D. Pastoris ac Professoris, in
Ecclesia & Academia Rostochiensi, Super Praematuero Equidem, At Piissimo
Obitu Corporis & animi dotibus condecoratißimae Virginis Annae Grassen/ P.P.
6. Aprilis Anno M. DC. LIV.**

Rostochi[i]: Kilius, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777450887>

Druck Freier  Zugang



Qvistorp, J.,

in A. Grass.

R. 1654.

30.

PROGRAMMA
RECTORIS
JOHANNIS QVISTORPII,
S. S. Th. D. Pastoris ac Professoris,
in Ecclesiâ & Academiâ
Rostochiensî,
SUPER PRÆMATURO EQUIDEM, AT PISSIMO OBITU
Corporis & Animi dotibus condecoratisima
Virginis

A N N Æ

Grassen/



ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.

Cujusdam Francorum Regis
Epitaphium

R^Isi, ploro, fui, non sum, studui, requiesco.
L^Isi, non ludo. cecini nunc mutio, pavi
Corpus, alovemes. Vigilavi, dormio, dixi
Salve, dico vale. Rapui, rapior, superavi
Vincor. Certavi, pace utor. Jure ego vixi,
Jure igitur morior. non obsto, obstarne nequirem^s.
Terra fui quondam, rursum sum terra. Nihil sum.
Terra ead uga vale, vermes salvete, regumbo.

RECTOR
JOHANNES QVISTORPIUS,
S.S. Th. D. Prof. & Past. in Acad.
& Eccles. Rostochiensi.

Deriq; mortaliū, devitæ hu-
jus brevitate conqueri consveve-
runt; pleriq; increpat vitam, tan-
quam ancipitem, fluxam, caducam;
producunt pro suâ opinione illos, vel satius o-
mnes, qui cum Maximo Tyrio in dissertat. 28.
audacter affirmant Somnium reverâ hanc vitam no-
stram esse, brevissimum; quô incorpore hoc, defossus ille
animus, vix unquam de veritate rerum somniat.
Producunt ipsam etiam (fateor) veritatem. Quis
enim verum esse diffitebitur, Vitæ hujus res me-
ras umbras esse, somnia, fumos, imposturas? Quis
nisi insanissimi contradicet cerebri, vitam no-
stram, ejusmodi esse in hisce terris ludum, ut cum
non simus nascamur, cum nati simus, rursus dis-
olvamur; & ut eleganter olim Seneca in Hercu-
le furente cecinit.

— — — properat curſa

Vita citato volucrig. die

Rota præcipitiū vertitur anni.

Quæ cum luce meridianâ clariora sint; neq; Ego,
aliam de Vitâ hac brevissimâ, mentem aut doctri-

A 2

nam

nam, Orbi obtrudere cupio. Sed id unicum, sentire cogor, hanc Vitæ humanæ brevitatem, non tam Dei Opt. Maximi pœnam, quam beneficium esse. Quid enim est vita ista, nisi exilium? quid nisi cursus in stadio? quid nisi labor diurnus, me-raq; calamitas? ut egregriè Aristophanus in Pluto Act. II. sc. 5. v. 14. *Etenim ē omnium vitam ut nunc est, si quis secum expenderit, an non quandam insaniam, Ut dicam verius, extremam reputabit esse miseriam?* Quis autem non prō summo reputaret beneficio, si tempus sui exilii sibi relaxetur, si cursus sui stadium abbrevietur; si operæ diurnæ, si tantæ calamitates, cum quibus deplorandi homines, in hacce vitâ conflictari coguntur, eò cito terminentur. Et hujus mentis nobiscum fuit. Virgo lectissima, ac pudicissima, ANNA Gräßi: quæ minimè conquesta, de tam subito vitæ suæ decursu, Divinæ obsecundans voluntati, lumbentissimè vitam hanc dereliquit; Supremo Cælestiq; Numini, pro tam celeri, Vitæ hujus tot cladibus circumseptæ termino, tanquam pro maximo munere, devotissimas egit gratias. Quæ nata fuerat, Anno M. DC. LIV. die 12. Augusti, ex Honestissimis ac integerrimis Parentibus: Patre videlicet SIMONE Gräßi Cive & Zythepsā hujus Civitatis non postremo. Matre ANNA Garzin. Ayum paternum habuit GERHARDUM

D U M Graß / Civem hujus Republicæ Optimum, & Celsissimi Ducis Mecklenburgensis, in Düsseldorf Pensionarium. Aviam Paternam ANNAM von der Beck / Matronam laudatissimam. Avum maternum habuit MARTINUM Garß / mercatorem in hoc loco honestum. Aviam Maternam CATHARINAM Kordens / Fœminei Sexus probissimum Exemplar. Educa-
ta fuit ac initiata ab Optimis Parentibus, ad Dei Omnipotentis cultum; cui semet, ab ipsâ nativitate, per lavacrum regenerationis, Christi Jesu Ecclesiæ incorporata, consecraverat; ducta ab ipsis & incitata semper fuerat ad omnes Virtutes, quæcunq; castissimum Virgineumq; exornare, consverunt cœcum. Quibus etiam, tum suis cœtaneis Virginibus, tum cæteris mortalibus, pulcherrimè prælucebat. Jam etiam ad eam pertingebat ætatem, in quâ Virgineam suam, integratatem, in conjugalem, & à Deo Summo ordinatam castitatem, commutare poterat. Imò Anno 1653, honestissima sponsalia, cum Præstans-
tissimo & Eximio Dn. ERICO WASMAN celebrabat; eidemq; induulsum in hac vitâ amo-
rem, legitimo ritu spondebat. Sed aliter visum.
Cælesti illi Sponso CHRISTO JESU, qui il-
lam, in tam florente ætate, ex hac misericarum &

afflictionum valle, in vitam illam sempiternis affluentem deliciis, ad Nuptias, in immensam æternitatem, in cœtu beatissimorum Spirituum, cum ineffabili animæ voluptate, secum celebrandas, evocavit. Præteriti Mensis Martii die 12. ultimâ vice, fortè præsaga futuræ à Sponso terrestri separationis, refecit animam suam piissimam, svavissimo ac preciosissimo Corporis & Sangvinis CHRISTI JESU pabulo, seq; ipsam, ad illam sempiternam festivitatem, ad illud Cœleste conyivium, in infinitam duraturum æternitatem; ad illam cum Salvatore sempiternam societatem disposuit. Die 16. Martii, in infirmitatem, morbumq; Variolarum incidit, & post in gravissimum pectoris dolorem ac imbecillitatem prolapsa fuit; cui nulla media amplius, nullaq; medicamenta mederi poterant. Quocircà, Deo sic, vitam & mortem mortalium dispensante, die 31. Martii, nocturno tempore, inter 11. & 12. primum diem veræ ac æviternæ vitæ auspicata fuit; & præsente viro plurimum Reverendo Clarissimo Excellentissimo Dn. NICOLAO RIDEMANNO, S.S. Theol. Licentiato, Ecclesiaste Mariano, Amico & Affine nostro honoratissimo, placidissimè ac beatissimè & terræ, & vitæ, & Sponso terre-

terreno valedicens, ad cœlum, ad vitam nullis
unquam circumscriptam terminis, ad purissi-
mos Sponsi Cœlestis, & in secula seculorum,
absq; fine, continuando amores, commigravit;
Deinq; nō conquesta de vitæ brevitate, quam suis
virtutibus & piis actionibus extendit, cū summa
mentis tranquillitate, vitæ brevis terminum ex-
cepit, absq; dubio, si non proferens, certè re-
ligioso, ac æternitati illi jam intentissimo ani-
mo, hæc versans, quæ olim mellifluus ille Bern-
hardus, in Meditation. c.2. Scribit. *Curtant opere,*
vitam istam desideramus & in quā quanto amplius
vivimus, tanto plus peccamus? Quantò est vita longior,
tantò culpa numerosior. Cum autem piissi-
mæ hujus Virginis Corporis Exuviae, hodiernò
die, ad sepulchrum in Templo Jacobæo præ-
paratum deferri, ibidemq; ad extremum illum
Judicii diem reponi debeant. Vos jam Omni-
um Ordinum CIVES ACADEMICOS, ve-
stris titulis honoratissimos, amanter & sedulò
invito, ut easdem, benevolè comitemini; iisdem
què, supremum hoc, veramq; Christianitatem
decens, humanitatis, ab ipso CHRISTO JE-
S. U. seriò mandatæ, officium exhibeatis. Ac
euntes huic beatæ Virgini exequias, mecum,
cogitetis. Nos collectu humorum aliquo na-
sci,

sci, raptim, ad instar demortuæ Virginis, cum
ævo labi, & alios brevius, alios longius pro-
gressos finire. Cogitemus, Naturam (ut Seneca
Consolat. ad Polyb. c. 30. inquit) quæ vitam de-
dit, suo jure uti, à quo vult, debitum suum citius exi-
gere. Cogitemus inquam hæcce accuratius, &
nosmet ipsos, tempestivè ad mortem, ejus ho-
ram ignoramus, præparemus; quæ omnia æquat
& quæ (ut Juvenalis Satyr. X, scribit.)

Sola fatetur,

Quantula sunt hominum corpuscula.

P. P. sub Sigillo Academiæ die VI. Aprilis.

A. D. 1654.

Conventus erit horâ primâ in Aede
Sacra Mariapâ.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777450887/phys_0014](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777450887/phys_0014)

DFG

terreno valedicens, ad cœlum
unquam circumscriptam ter-
mos Sponsi Cœlestis, & in se-
absq; fine, continuandos amo-
Deinq; nō conquesta de vitæ br-
virtutibus & piis actionibus ex-
mentis tranquillitate, vitæ brev-
cepit, absq; dubio, si non pro-
ligioso, ac æternitati illi jam
mo, hæc versans, quæ olim mel-
hardus, in Meditation. c.2. Scrib-
vitam istam desideramus ē in quā
vivimus, tanto plus peccamus? Q
gior, tanto culpa numerosior. Cu-
mæ hujus Virginis Corporis Ex-
die, ad sepulchrū in Templū
paratum deferri, ibidemq; ad e-
Judicii diem reponi debeant.
um Ordinum CIVES ACAD-
stris titulis honoratissimos, an-
invito, ut easdem, benevolē com-
què, supremum hoc, veramq;
decens, humanitatis, ab ipso C
S. U seriò mandatæ, officium e-
eentes huic beatæ Virgini exec-
cogitatis. Nos collectu humo-



the scale towards document

m nullis
purissi-
orum
igravit,
am suis
summa
um ex-
ertè re-
no ani-
e Bern-
ntopere,
mplius
italon-
piissi-
diernō
o præ-
illum
Omni-
S, ve-
edulō
sdem-
tatem
D JE-
Ac
cum,
o na-
sci,